

## 46 Vita S. Franc. de Paula

veritatem. Congruentius nos putamus, ut pro Sanctis de Assisio intelligat Scriptor Sanctam Mariam Angelorum dictam, quæ Assisi jam à S. Francisci temporibus colebatur, & Sanctum ipsum Franciscum de Assisio nuncupatum. Re vera ut ex aliis documentis constat, ad S. Mariam de Angelis, & S. Franciscum de Assisio invisendum, colendumque Franciscus noster cum Parentibus suis Assisium se contulit. Nulla S. Claræ mentio in itinere illo confibedo, nulla in persolvendo voto, quod Parentes ejus fecerant.

En Testis sextus Processus Consentini Joannes Antonachius in interrogatione septima: *Conduxitque eos peregrinatum secum ad S. Franciscum de Assisio, & S. Mariam Angelorum.* Quæ & antea dixerat super tertio, loquens de Vienna Matre: *Ip[s]amque cum dicto Jacobo Marito suo, & ipso Fratre Francisco, peregrinatam fuisse ad S. Franciscum de Assisio, & S. Mariam Angelorum.* Relatio quoque Simonetæ authenticum est testimonium: *Vocatis Parentibus, eos, ut se ad Ecclesiam S. Francisci de Assisio, & Sancte Mariae de Angelis, devotionis causa, ducere wellent, enixè rogavit.* Non imus autem inficias, ut quam maximè etiam Sanctam Virginem Claram Franciscus noster coluerit, & veneratus Assisi fuerit; sed quæ scribimus eō diriguntur, ut pro Sanctis de Assisio, quos non præter historię veritatem Scriptor noster posuit, non Franciscus & Clara legendi sint, sed potius Beata Maria Angelorum, & S. Franciscus de Assisio, quos præcipue Franciscus noster, pro voti solutione cum Genitoribus suis Assisium venit, ut veneraretur.

VI. TOTO TEMPORE VITÆ IPSIUS) Ex verbis hisce efformari forsitan poterit argumentum contra illud, quod apud nos fuit semper habitum exploratum; quodque etiam